

ARISTOTELES quoque aliquoties Præceptorem hic sequutus, Deum ζῶον dicere non veretur, ut lib. 1. de plantis c. 1. l. 5. Top. cap. 1. lib. 5. Metaph. c. XXVI. & alibi.

8. Cùm autem definitiones, quæ de Deo circumferuntur, nihil aliud sint, quàm conglobatio attributorum, ut vocant, divinorum, opus erit, ut eadem quoque ex PLATONE nostro eruantur. Et quidem si Unitate DEI fit initium, tam crebra eadem in PLATONE legitur, ut omnibus enumerâdis chartæ hæ non sufficerent. Præsertim in *Parmenide* disputat subtilissimè, quo pacto ipsum unum rerum omnium principium sit, super omnia, omniaque ab illo. Quo pacto ipsum extra omnia sit, & in omnibus, omniaque ex illo, per illud atque ad illud. Deinde gradatim ad hujus unius, quod super essentiam est, intelligentiam gradatim adscendit. Unum quippe in triplice ordine reperitur: In iis, quæ fluunt atque sensibus subjiciuntur, & sensibilia nominantur. In iis etiam, quæ semper eadem sunt, & intelligibilia nuncupantur, non sensibus amplius, sed solâ mente percipienda. Nec in iis tantum, verùm etiam supra sensum & sensibilia, intellectumque & intelligibilia ipsum unum existit. Vide omninò MARSILIUM FICIN. in *Parmenid.* ubi simul invenies novem istas suppositiones, quas PROCLUS aliique de PLATONIS schola ad probandam DEI unitatem ex *Parmenide* eruerunt. Nec obstat Unitati, quod divinitatis nomen PLATO multis attribuat, duoque Deorum genera constituat, quorum primum sunt intelligentiæ cœlestes, de quibus in *Timæo* & *Epinomide*, alterum quos Dæmones seu obscuros vocat, quod non ut sidera appareant, itidem l. c. eos tamen omnes à summo Deo creatos & productos multis in locis asserit, præcipuè autem in *Timæo*, quando absolutâ minorum Deorum genealogiâ mundi creatorem summum, creatis Diis corpora mortalia condendi facultatem largientem introducit: λέγει πρὸς αὐτὸς ὁ λόγος τὸ πᾶν γεννήσας, ἰάδε, θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιοργὸς, πατὴρ τε ἔργων, ἀδὲ ἐμῶ γενόμενα, ἀλυτα, ἐμῶ γέ θελοντ. τὸ μὲν δὲν δὴ θεθὲν πᾶν λυτόν: Tum ad eos mundi genitor ita fatur: Dii orti ex Diis quorum opifex ego ἔσ' pater sum, hæc attendite: Quæ à me facta sunt me ita volente indissolubilia sunt.

sunt.